

99 7 64





ἀγαθὴ τύχη

DISPUTATIO

De Motu

Ex summi Philosopho-

rum libris περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως tertio  
& quarto potissimum

deprompta

&

Subiecta

Arbitrio & censuræ rectè ac sobriè  
Philosophantium

I N

Illustri Witebergensium Lyceo

a

M. IACOBO MARTINI  
Halberstad: Saxone

Respondente

IOANNE LOBHARTZBER-  
gero Glacense Silesio.

Habebitur ad diem 14. Septemb. in Auditorio majori  
Collegij Novi hora 6<sup>a</sup> matutina, &c.

WITEBERGÆ,

Typis Wolffgangi Meißneri, 1594.

Ca. Leo Schrami 180.

Homo) Ani  
Leo & mal.

Nunc alia definitio substat. V. a. in fructu, quatenus in mi-  
num utrumque n. or: equi. n. aca fructu. ac substantia:  
illud in. q. semina substantia ut or p se, aca boni  
offe or p. substantia: et illud p se v. patitur, a fructu  
in. Leo or or id. q. ut in talis, t. m. q. Et he  
mox no regitur a rationem ut or or.



49 F 66



Disputatio de Motu.

I.



Ristoteles summus Philosophus antequam motum definit, tria potissimum præmittit observanda. Primum 3. Phys. Cont. 1. reddit rationem quare in Physicis de motu sit agendū: Nam si ignoratur motus NATURAM etiam ipsam ignorari necessum est, cum motus definitionem naturæ ingrediatur, Definitio autem non perfectè cognoscatur, donec omnes ejus partes intelligantur.

II.

Deinde duas subnectit hypothes, quæ plurimum ad Definitionis intelligentiã & cognitionē facere videntur.

III.

Priorem habet Cont. 3. ubi divisionem cum duplici subdivisione ponit. Eorū enim, inquit, quæ sunt quædam actu tantum, quædam potentia sunt atq; actu.

IIII.

Licet quidem textus hujus apud interpretes varios variæ expositiones, quod Græca litera passa sit lectiones varias, habeantur: tamen cum Them. Alexan. Philop. Simplicio, Michaële Psello Græco statuimus per ἐνεργεία dūtaxat Entia intelligi intelligentias & separata à materiã: per ἐνεργεία vero simul & δυνάμεις corpora ex materiã & formã composita.

V.

Ex his sumitur prima subdivisio: Distinguuntur enim ἰσοδία in decem illa summa genera Substantiam, Quantitatem, <sup>γεωμετρία</sup> Qualitatem, Relationem, &c.

VI.

Ex hac, Relatione nempe, altera subdivisio desumitur, quæ in duo genera quantum ad instituti nostri ratio- <sup>ἐπιδημιολογίας</sup> nem <sup>σῆς</sup>

A 2

nem

nem attinet, distinguuntur. Quædam enim ad aliquid referuntur exuperantiæ & defectiõnis causa, quæ fundantur in Quantitate: Quædam vero ad aliquid referuntur vel agentis & patientis ratione, vel movētis & ejus quod movetur; Cum neq; movens, neq; id quod movetur nisi comparatione adinvicem intelligantur.

VII,

Posterior hypothefis in duabus consistit rationibus motui genus Synonymum assignari non posse docentibus.

VIII. *physic. 1.3.c.1.*

Priorem rationem exponit Cont, 4. ubi in hunc modum ratiocinatur :

Tot motuum sunt genera, quot sunt Entia quibus motus inest & competit.

Atqui Quatuor sunt talia Entia, Substantia, Quantitas, Qualitas & Locus. Ergo & quatuor genera motus.

IX.

Summa autem ista genera & quæ illis continentur nō habent Genus commune, quod univoce de singulis prædicetur. Ergo neque motus.

*Metaph. 1.3.c.2. ὅτι οὐκ ἔστι τινος κινήσεως γεννῆμα, ἀλλὰ τῶν ἐν αὐτῇ κινήσεως ἑκάστης.*

Rationem consecutionis huius reddit Philosophus. Motus enim in rebus est non extra res : Vnde ita argumentamur :

Quæcumq; secundum essentiam & secundum omnia πᾶσι & affectiones differunt illis motus communis nō est. Atqui quatuor illa summa genera extra quæ motus non datur ita differunt. Omne enim ENS prædicamentum est. Ergo motus illis communis non est.

X I.

Rationem posteriorem desumit Aristoteles ex rerum conditione in qualibet Categoria constitutarum Cont.

*Si enim non est huius in ista ratione in quibus conveniunt rationes huius generis. fallit quædam ratio generis. In prædicamentis sunt huius cum non conveniunt.*

5. In omni enim prædicamento duplex actus est secundum quem duplex quoque motus, secundum contrarium unum quod forma, & secundum alterum contrarium, quod privatio dicitur. Ut in substantia Generatio & corruptio, in quantitate ἐκξησης καὶ φθίσης, in Qualitate, alia ἀλλοίωσης ἀ μελάνσει ad λεύκανσιν, alia ἀ λευκάνσει ad μέλανσιν, & denique in loco φῶρα sive latio ex infero sursum & ex supero loco deorsum,

### XII.

Etsi quidem omnium specierum motuum hoc loco facit mentionem: non tamen distributionem instituit, ut quidam volunt.

### XIII.

Demonstrat enim hic tantum genus univocum motus dari non posse. Non autem dividit, quandoquidem ibi perfecta distributio habetur, ubi Essentia istius rei atque natura perfecte exponitur & explicatur ut fit lib, 5. Phys.

### XIV.

Genus itaque Synonymum Motus non habet, sed pro ratione & variatione rerum diversum est & variat.

### XV.

Unde tandem hanc Cont. 6. colligit definitionem. *θεῖα* Motus est τὸ δυνάμει ὄντι ἐντελέχεια ἢ τοῖσιν Actus Entis quod est in potentiâ prout in potentia. Quam ordine explicabimus, & deinde motum à mutatione distinguemus.

### XVI.

*Matena* Genus in definitione est ἐντελέχεια. Ubi tenendum vocabulum hoc non semper sumi pro ἐντελεχεία ὁμοιωδῶς existente, sive τελείωσι & perfectione, quæ duplex dicitur una forma perfecta, ut in definitione animæ; altera operatio proficiscens à forma perfecta: verum etiam ample pro omni actu usurpari.

A 3 In

XVII.

In definitione hac sumitur pro *evēphysicæ* seu actu incom-  
pleto & imperfecto, propterea quod possibile imperfe-  
ctum est cujus motus est actus 3. Phys. Cont. 16.

XVIII.

Intelligimus itaq; per actum medium illud quod est  
inter Terminum à quo & terminum ad quem, quod par-  
tim actu partim potestate est.

XIX.

Mornaus  
de Verita-  
te Relig.  
Christi.  
Cap. 4.

Medium vero illud & quidem actum esse motum pro-  
bari potest ex 7. Cont. tali syllogismo: Omne id quo  
aliquid ex potentia redditur esse actu actus est: Omnis  
enim potentia in actum peractum producitur.

Sed per motum id quod potentia est fit esse actu. Er-  
go motus est actus.

XX.

Major cum sua ratione subjecta ita demonstratur am-  
plius: ædificabile potentia cum actu ædificabile est ædi-  
ficatur: Ædificatio autem est motus & actus. Præstat n.  
ut id quod potentia ædificabile erat, jam actu sit ædifica-  
bile.

XXI.

Deinde quod intelligat Philosophus actum imperfe-  
ctum præter rationem th. 17. ex eo liquet. Adicit enim  
Entis in potentia. Actus autem perfectus tollit omnem  
potentiam ut Calor perfectus tollit omnem potentiam  
ad calorem.

XXII.

Porro quod per actum non formalitatem sive formam  
intendat manifestissime demonstrat. Cont. 9. quando  
inquit aliud esse ESSE æs & aliud mobile esse & aliter  
esse æris & aliter mobilitatem definiri.

*Quia Actus motus forma, cuius est forma, sed ut forma.*  
*Og. est forma a se. Motus est forma. E.*  
*Nullum acci. quod substantiam perficere. Motus in acci. quod.*  
*E. motus. E. quod substantiam perficere. Motus in acci. quod.*  
*Quia substantia non movetur in se, nisi a se. Sicut.*

Additur



X XIII.

Additur in definitione εντελέχεια οντος, hoc est, motus est actus ejus quod revera existit. Non enim hoc loco Ens vocabulum transcendens est ut significet communem rerum omnium conceptum; sed sumitur ut est Participium à verbo sum deriuatum.

Perer. lib. 14. cap. 4.

X XIII.

Δυνάμει. Hoc docet Aristoteles, ut diximus, motum non actum esse purum, seu simpliciter rei in potestate existentis: sed actum talem, qui semper aliquid potentiae habeat adjunctum, penitusq; deficiente & sublata potentia tollatur & deficiat. Unde & manifestum fit, quod modo de discrimine actus quo res dicitur id quod est, & actus quo motus definitur, proposuimus. Qui duo actus licet subiecto non discrepent: tamen definitione & maxime distinguuntur.

X XV.

Æs enim actu est æs: sed statua in potestate; Hic motus non est ipsius ut actu æs est: sed ut potentia est statua.

X XVI.

In hanc sententiam Aristoteles lib. 3. Phys. cont. 57. & 9. Metaphys. cont. II. duplicem introducit potentiam: alteram quæ tota actu tandem evadat: alteram quæ non possit omnino separari ab actu, vel quæ ita reducatur ad actum ut neq; omnino pereat neq; omnino maneat, & est potentia hæc in materia in motu in divisione continui.

X XVII.

Sequitur ultimum Prout in potentia. Reduplicatiōne quoq; hac Philosophus innuit. 1. Rem non moveri respectu formæ qua est id quod est (respectu enim hujus tantum quiescere dicitur:) sed respectu potentiae seu formæ quam nondum possidet. 2. Docet potentiam magis atq; actum motui competere.

Perer. lib. 13. cap. 4.

*Actus*  
Forma causa actionis. Grana illius per se et mater.  
Forma causa actionis. E. Grana forma, qd eisdem est. qd est  
nisi mater.  
Si nisi mater opposita forma absentis; tum forma essentia in jure  
in se metipsum, qd est nisi mater, ut introitu cause formæ nana.  
Sunt hæc ratione essentia appellatur.



XXVIII.

Actus enim habet se ut Genus, potentiâ vero ponitur loco differentiae specificæ, quæ propius ad <sup>esse</sup> rei accedit, Quiditatemq; magis explicat.

XXIX.

Cæterum in omni motu, ut & in omni relatione duo sunt, quorum unum est agens & motionem alteri adfert: alterum patiens quod dum perfectionem aliunde sibi illatam sustinet, motionem in se recipit.

XXX.

Agens seu movens duplex est ut docet Aristoteles 73. Cont. 2. Phys. aliud est Physicum, aliud Metaphysicum.

XXXI.

Physicum quod mouendo ab eo quod movet vicissim patitur 3. Phys. Cont. 8. & 16. quod materiæ cuius ratione patitur & formæ cuius ratione agit sit particeps.

XXXII.

Hyperphysicum agens sive movens est quod excitando motus nihil vicissim patitur, ut Deus.

XXXIII.

Hyperphysicum vero naturaliter dicitur movere non quod naturaliter moveat respectu sui: sed effectus ratione quem naturalem producit, Deus enim est causa mutationum quæ fiunt, rerumq; quæ secundum naturam generantur, & conservat naturam.

XXXIII.

Unde tenendum venit quare quid propriè Naturale dicatur: non quia producat Effectus naturales: Quod Deus esset res naturalis: nec quia productum sit modo naturali. Fuit enim primus homo naturali modo non productus, naturalis: sed aliquid naturale dicitur, quod habet in se insitum principium & propensionem ad eum

motum



motum quo ipsum movetur. 2. Phys. Cont. 1. & sequent.

X X X V.

Una porro utriusq; & agentis sive moventis & patientis sive moti ἐνέργεια sive actus est 3. Phys. cont. 18. licet ab eo quod movendi vim habet, h. e. ab agente tanquã principio oriatur, & in id quod moveri potest desinat.

X X X V I.

Actio enim recipitur à Patiente, cujus perfectio nõ nisi ab agente proficiscitur, quod fit dum agens communicat agendo perfectionem ac patiens illam recipit patiendo.

X X X V I I.

Differt autem τὸ λόγῳ.

X X X V I I I.

Motus deinde generaliter sumti species octo numerantur duæ in substantia : duæ in Quantitate, duæ in Qualitate, duæ deniq; in loco, quas omnes supra posuimus.

X X X I X.

Atq; hæctenus generalia quædam de motu proponentes motum à mutatione non distinximus : sed quando rem accuratius pensitamus, tum inter motum & mutationem tale discrimen, quale inter Genus & speciem est, deprehendimus.

X L.

De pluribus enim dicitur mutatio quàm motus propriè, motumq; subincludit. Quicquid enim aliter se jam habet quam habuit antea, id mutatum esse recte pronunciamus. 5. Phys. cont. 8. quod etiam satis superq; vox μεταβολῆς quo ἀλλὸ μετ' ἀλλὸ fieri significatur edocet.

X L I.

Quodcunq; deinde mutatur, quatuor hisce modis  
B muta-



mutari oportet: aut e subjecto ad subjectum; aut e non  
subjecto ad subjectum: aut e subjecto ad non subjectum:  
aut e non subjecto ad non subjectum.

**XLII.**

Unde necessum est ex dictis tres mutationes, eam  
quæ e subjecto est ad subjectum & quæ e non subjecto ad  
subjectum, & eam quæ e subjecto ad non subjectum, ra-  
ras esse: Etenim non est mutatio, quæ est e non subjecto  
ad non subjectum, quia per oppositionem non est. 5. Phy-

*E. a mutatione in materia  
subiecto ad non  
subjectum. Et  
falsum, quia si  
unum dicitur esse  
a fructu, est in  
alio subiecto, ut  
vini, & sic, ut  
in ipso materia ab  
uno subiecto, potest ut  
fuit in unum subiecto.*

fic. Cont. 7.

**XLIII.**

Prima mutatio solummodo ad motum proprie & spe-  
cialiter ita dictum refertur, secunda & tertia proprie mu-  
tationes non motus dicuntur. Hinc in substantia muta-  
tio recte dicitur: in Quantitate Qualitate & Ubi motus.

**XLIII.**

Quod autem generatio per motum non recte definia-  
tur, sive quod non sit motus demonstrat citati libri Cont.  
2. ex quo ita argumentamur:

*Generata  
9. in  
Gen. aut  
Generata*

Quodcumq; movetur est in loco  
Atqui quod generatur non est in loco. **E.**  
Quod generatur non movetur.

*Scaly. opus 23.  
Non n. generatio motus, sed motus  
fuit. Valius a motu toto gener.*

**XLV.**

Assumptio probatur: Quodcumq; est non Ens non est  
in loco.

Atqui quod generatur est non Ens., Ergo, &c.  
Si ergo

*Generatum n. n. aut  
ut aut. subiecto  
q. generatur. Et  
tunc simpliciter falsum n. esse non aut. Si  
non aut. huiusmodi, ut dicitur. n. esse, & huiusmodi non caput, ut est loco.  
Generatum huiusmodi n. n. in loco.*

X L V I.

Si ergo Generatio non est motus, corruptio quoque motus non erit, quod tali citato in loco evincit Philosoph. argumento: Quodcumque non motui, sed Generationi, quæ motus non est opponitur ut contrarium, non est motus: Qualitas enim ut qualitati: sic motus motui opponendus. Sed corruptio opponitur Generationi & non motui. Er. corruptio non est motus.

X L V I I.

Unde manifestum fit verum esse quod modo à nobis positum, in tribus tantum prædicamentis in quantitate qualitate & ubi motum collocandum esse: In quantitate *ἐν κινήσει καὶ φθίσει*: in qualitate *ἐκ ποίωσει* & in ubi *φορᾷ*.

X L V I I I.

In substantia v. motus non est, cont. 10. Non a. propterea substantiæ motum Physicum in universon negamus, cum nullus omnino motus sit, quin fit in *ὄσολα* quadam. Mouetur itaque substantia, sed quatenus quantitas, qualis & in loco est,

X L I X.

Necque item agentis est motus ac patientis neque moventis ac eius quod movetur: Motus n: non est motus, neque generationis generatio, neque ullius mutationis mutatio.

L.

Hoc ipso a. Philosophus actionem & passionem motus esse non negat: Sed ostendit actionem passionemque non ita moveri, quæadmodum qualitas in alteratione, quantitas in diminutione vel augmentatione moventur, quod hac ratione motus tollatur, cum finis nullus occurrat, nec ad primum motum unquam perveniri possit.

L I.

Quod v. Simplicius 3. Phys. cont. 5. & 5. Phys. cont. 9.

B 2

cont. 9. motum adscribat omnibus categorijs, id improprie fieri adseveramus, & quidem consequenter, cum categoriæ hæc Quando situm esse, Habere cum qualitate quantitate & vbi coniunctæ sint.

L I I.

Octo porro rebus naturalibus propter motum præcipue attribuuntur cont. 22. 5. Phys. I. τὸ ἅμα seu simul quæ in eodem loco primo continentur, vt in mixtis simplicia corpora. 2. τὸ χωρῆς separatim, quæ sunt in duobus aut pluribus locis. 3. τὸ ἀπείδι seu tangere, vt quorum extrema simul sunt. 4. τὸ μεταξύ intermedium quod interiectum est inter duos terminos extremos, & ad quod prius quam ad extremum peruenire potest quod continenter movetur. 5. τὸ συνεχῶς κινεῖδι siue continenter moveri dicitur quod aut nihil aut minimum intermittit rei secundum quam motus perficitur: non illud quod ratione temporis nullam motus intermissionem habet. 6. τὸ ἐφεξῆς siue deinceps est id inter quod post principium aut positione aut forma aut aliquo alio definitum & id ad quod deinceps dicitur esse, nihil eorum cadit quæ in eodem genere sunt cont. 25. 7. τὸ ἐχόμενον siue coniunctum est quod ita est deinceps vt attingat id, quod proximè antecesserit. & 8. continuum. quando extrema quibus duæ res sese attingunt, fiunt vnum cont. 26. Fiunt a. vnum vel clavo vel glutine vel tactu vel copulatione cont. 27.

L I I I.

Cæterum quemadmodum unum multis modis dicitur: ita etiam vnus motus dicitur genere specie & numero cont. 31.

L I I I I.

Cont. 31. Genere dicitur vnus motus, qui in eodem genere est vel qui est ad rem vnus prædicamenti: sic omnes alterationes quæ ad qualitatem sunt vnus genere motus dicuntur: sic omnes augmentationes & lationes.

Spe-

## L V.

Specie est unus, quando & genere unus est & in individua sive specialissima specie est: ut omnes dealbationes sunt unius speciei, alterius vero denigrationes &c. *Ibidem.*

## L V I.

Numero & simpliciter unus est motus in quo subiectum quod movetur numero est unum, speciesq; secundum quam fit motus & tempus in quo fit motus unum est & continuum, ne quies intercedat. Cont, 34.

## L V I I.

Præterea motus unus & is dicitur, qui est perfectus sive genere sive specie sive numero unus sit, quanquam nihil prohibet etiam imperfectum esse unum, modo fuerit continuus Cont, 42.

## L V I I I.

Unus tandem dicitur & ille motus qui Uniformis est. Difformis enim aliqua ex parte non unus videtur. Nam quemadmodum Linea recta magis una dicitur, quam tortuosa: sic quoque æquabilis motus magis unus est quam inæquabilis, Cont, 43.

## L I X.

Opponitur porro motui motus: Motus n. quo ex contrario in contrarium ei contrarius est, quo ex contrario in contrarium movetur. Ut is quo aliquid movetur ab A ad B. contrarius est quo à B ad A. Sic is quo ex valetudine in morbum incidimus contrarius est ei, quo ex morbo in valetudinem pervenimus.

## L X.

Quies opponitur quidem motui sed non contrarie, verum privative. Nihil enim aliud est quam ἀκίνησις τῶ πεφυκότῳ κινῆσθῃ πέφυκε.

B 3

Est

## LXI.

Est itaque motus motui contrarius simpliciter. Sunt enim duæ species sub eodem genere: aliquo modo vero Quies. Ergo Privationem non dicit absolute contrariam Aristoteles Cont. 53. ut ipsi affingunt: sed saltem modo suo: quod vel maxime inde apparet. Absolute enim inquit motus motui est contrarius: idem autem non de Quiete.

## LXII.

Status tandem ij inter se contrarij sunt qui in terminis contrarijs, vel qui in contrarijs habitibus consistunt: ut Quies quæ in valetudine est ei quæ in morbo contraria est, &c.

## LXIII.

Atq; hæc de motu ex tertio & quinto Physicorum Aristotelis sufficient: de illis quæ restant in sequentibus sexto, septimo & octavo forsitan alia occasione agetur.

*Questio.*

Ram. 1.  
cap. 3. lib.  
schol. Pby  
sic.

An motus propriè sic dicti doctrina pertineat ad Lo-

N.

**F I N I S.**



99 7 64


ULB Halle 3  
002 142 015



Nur für den Lesesaal







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



1594:

orio majori  
, &c.

ZBER-

TINI

YCAO

c sobriè

tertio

pho=

2

